Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2285
Quelle:
Copyright:

isto signo viso neque reuerentiam exhibuerunt, neque passionis christi et eius meriti vnquam aliquam memoriam habuerunt, prout a decrepitis expertus hec scribo. &c. Initium Tractationis est: *Multa vsque instantia postulastis, quatenus solutionem quarundam questionum* &c. et finis: *dic tantum verbo et sanabitur puer meus.* Non memoratur ea inter Opera Nostri P. I. *Scriptt. Univ. Vien.*

VIII. *fol.* 235. Ejusdem Propositio facta nomine *Friderici* III. Imp. in quodam cum Proceribus *Hungariae* Conventu, cujus locus et annus, qui 1440. aut 41. esse debuit, non memoratur, qui tamen *mediatore Reuerendissimo in christo et sancte Apostolice sedis a latere legato* (Juliano Caesarino) *per S. Dominum nostrum ad hoc specialiter transmisso* celebratus est. Incipit: *Quomodo qualiterque principatus et Regna in decessibus suorum Regum et principum agitationibus concutiantur — luce clarius edocuit Serenissimi quondam fe. re. domini Regis Alberti flebilis occasus* &c. Narrat deinceps *Elisabethae* Viduae cum infante *Ladislao* fugam ad *proximiorem sangwine federatum* Imperatorem, turbas, quas excitarunt *nonnulli diuites fieri querentes* et *ere pressi alieno*, *Joh. Hunyadis Comitum Cylie* adversarii vastationem *Styriae usque ad Marpurgam*, celebratam *in wyenna amicabilem dyetam*, aliam *Posonii die dominica post laurentij* celebrandam praetextu absentis *Hunyadis ad festum beati Mathei Apostoli* dilatam cumque ob temporis brevitatem Nuntii Imp. adesse non possent, negatam *generoso domino de Ebersdorff et M. Casparo de Chrems* prorogationem, et interea *Hunyadem cum sua gente, quam preuie congregatam habuit turcorum scismaticorum et aliorum, quam ad compescendam Regnicolarum rebellionem et insolentias et verbis et scriptis vna cum alijs dominis, et non in offensam sue mayestatis congregatam asseruit*, dira quaeque in terris *Friderici* exercuisse, quae enumerantur, et pro quibus satis fieri postulatur. Scriptum, quod ἀνέκδοτον putem. Tergo temere haec de *Passaviensibus* IV. Episcopis alia manu adscripta sunt: *Gotfridus de weissenegh fecit magna solempnia edificia maxime stubas in Patauia, Wienna, Swadorf, Viechtnstain &c. et valde bene fecit ecclesie. Dominus Albertus de Winkchl strenuus fuit et prostrauit ciues patauien. magno numero infra Patauium et opidiolum zell aput aquam que dicitur Erlach que plurimum ciuium sanguine usque in danubium fuit aspersa. Johannes de Scherffenberg presedit duntaxat sex annis uel circa. Georius de Hohenloch sumptuosus et preciosus alienauit Schonpichl, Riedegk et Mattsee &c.* Hi Praesules sederunt ab a. 1342. ad a. 1422.

IX. *fol.* 237. *Consilium super lapsu cuiusdam baptizati olim Judei.* Dirigitur *Rev^mo in christo patri et domino. domino Vdalrico* (de Nussdorf recte) 3°. *Sancte patav. Ecclesie presuli.* vertiturque *de quo-*